

Et Monachi docuerunt, se mereri remissionem peccatorum sacrificio Missae, Et alijs operibus, Et tali disciplina iustos esse.

Hos errores refutari in Ecclesia semper necessarium est, Et econtra illustrari doctrinam de filio Dei Et eius beneficijs. Hæc sunt summa perspicuitate in epistola Pauli ad Romanos. Quia cum Pharisei Et multi alij, tunc acerrime defenderent suos errores de iusticia legis, Et non agnoscerent filium Dei, Et iusticiam fidei, necesse fuit opponi perspicuam refutationem. Nec tamen tantum ad illud tempus hæc Epistola accommodanda est, sed semper necesse est recte agnoscere filium Dei, Et intelligi iusticiam fidei, Et discrimen legis Et Euangely.

Pro iusticia
fidei.

Concionatur ergo hæc Epistola Ecclesie, usque ad extremum iudicium sicut res eadem antea à Prophetis traditæ sunt, in quibus extant seuerissimæ conciones contra illas pharisaicas tenebras, Et multi propter has reprehensiones à sacerdotibus Et phariseis interfecti sunt, imo Paulus cum quidem affirmet se doctrinam accepisse reuelante filio Dei, ut ad Galatas expresse inquit, Tamen citat testimonia prophetarum, ut ostendat unam perpetuam uocem Euangely in Ecclesia esse, de beneficijs filij Dei, de modo reconciliatio-

Paulus
Propheta.